



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Clervm Mediolanensem. Recipit Hadericum sub tutela sedis apostolicae, & excommunicat omnes, qui illi, vel eius ecclesiis molestiam intulerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

moderantes, cum Christo regnum, quod finis nullus angustat, intercedentibus beatis apostolis, capeffere valeatis. Data IV. Idus Martias, indiçtione XIV.

EPISTOLA CCLXIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CLERVM MEDIOLANENSEM.

Recipit Hadericum sub tutela sedis apostolicæ, & excommunicat omnes, qui illi, vel eius ecclesiis molestiam intulerint.

Omnibus reuerendissimis episcopis & sacerdotibus, seu clero, ac populo sanctæ Mediolanensis ecclesiæ.

BONI patrisfamilias, quem bene & fideliter laborantes remunerasse cognoscimus, informati exemplo, ex apostolicæ auctoritatis & miserationis magisterio, seu beneuolentia, omnibus, quos pro ecclesiæ Dei vtilitatibus fideliter desudare conspiciamus, subuenire debentes, opportunum ac necessarium nos oportet præbere auxilium. Igitur quia te Hadericum venerabilem presbyterum, & abbatem sacrorum monasteriorum beatorum scilicet Geruasii & Protasii, atque Simpliciani, nec non ex xenodochii * sanctorum Cosmæ & Damiani, quod Romanorum dicitur, & alia tua beneficia, vel patrimonia intra vel extra ciuitatem Mediolanensem constituta, fideli deuotione, totoque mentis conamine, pro pristino statu & vigore, atque restitutione sanctæ Mediolanensis ecclesiæ ter quaterque in obsequio Ansperti reuerendissimi archiepiscopi tui, atque confratris nostri deuotum, atque in omnibus fidelissimum permanere, atque decertare omnino, & euidenter comperimus, & legationem Ambrosianæ ecclesiæ catholica fide, te & prout vires suppleuerunt, ardentissimo ardore explere, crebro cognouimus. Et ob hoc aliquos contumaciæ liuore aduersum tuam commotos esse dilectionem, vel ob alias causas inuidiæ, qui & modo labiis dolosis zeli contra te concitati, & postmodum callidis argumentis nociuam tibi moliuntur, nostro statuto decernimus, atque Dei omnipotentis auctoritate, beatique Petri apostolorum principis, & nostra sanctione statuimus, nulli vnquam archiepiscoporum, vel sacerdotum, aut cuius-

Qq iij

libet ordinis clericorum eiusdem sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, nec aliarum ecclesiarum, neque alicui magnæ parvæque personæ, cuiuscumque honoris præditæ dignitate esse licitum, pro tuæ laudabilis deuotionis affectu, & pro tuæ fidei sinceritate, atque caritatis certamine, quod pro ipsius ecclesiæ vtilitate nostris te diebus habuisse cognouimus, aliquam tibi quocumque modo, vel sub ecclesiasticarum rerum obtentu, inferre calumniam, aut his præfatis, quæ pro tui digni laboris merito retines beneficiis, & patrimoniis, vel a quibus propriis rebus mobilibus priuare: sed diebus vitæ tuæ, secundum auctoritatis nostræ decretum, pro amore Dei, & mercede animæ nostræ, tuaque fidelitate, quam tuæ te nouimus habere ecclesiæ, liceat tibi sub apostolicæ sedis, successorumque nostrorum tutamine, cum propriis beneficiis, & cum omnibus tuis hominibus vtriusque ordinis, manere quietum, atque securum. Porro quicumque contra hoc nostrum statutum, temerario ausu agere, teque pro huiusmodi negotio calumniare præsumpserit, omnium ecclesiastica iudicamus communionem carere, quousque per congruam satisfactionem, in nostra successorumque nostrorum præsentia, quod perperam læserat, emendare curauerit. Et ideo nostra etiam apostolica auctoritate præcipimus, te nunquam cuiuslibet episcopi, vel sacerdotis subiacere iudicio, quousque in nostram, vel successorum nostrorum libere, ac securiter sine alicuius obstaculo, vel impedimento præsentiam venias. Data vt supra.

EPISTOLA CCLXV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Arguit eum, quod non fregerit fœdus, quod cum Sarracenis fecerat, cum promiserit illud rumpere. ostendit multa mala eius causâ a Sarracenis, Christianis fuisse inflicta. minatur illi excommunicationem nisi fœdus illud rumpat.

Athanasio episcopo Neapolitano.

IAM quia te lactantium, & ab ipsis cunabulis educantium sanctæ matris tuæ Romanæ ecclesiæ oblitus es vberum;